

REGIA LYNCEORUM ACADEMIA

Lynceorum Academia, in qua Galileus auditus est, quaeque Romae ineunte saeculo XVII a Friderico Caesio instituta, ceteros inter doctos coetus abdita rerum pervadentes antiquitate praecellit, jam, Urbe sibi restituta, ut in duas Classes distribueretur, Regi Victorio Emmanuelli II placuit; alteram quae in physicis, mathematicis et rerum naturalium disciplinis versaretur, alteram, quae morales, historicas ac philologicas complecteretur.

Nunc vero nos, litterarum commercii cum aliis Sodalitatibus, tam apud Italos quam apud Exteros, de optimis studiis egregie meritis instituendi solliciti, Societati nobilissimae, quam Tu, Vir Cl., regis,

Transmissi, fasc. 1, 2

ex Collegarum mandatis mittimus; atque, ut pariter Acta mittas Societatis, cui praees, enixe rogamus. Hoc porro boni et lubentis animi in nos extabit testimonium; ac proinde volumina, quae quot annis prelo traduntur, suo tempore accipies. Vale.

Romae ex Aed. Capitolinis *16 feb. 1889*

LYNCEORUM PRINCEPS

Ab Actis

L. Cremona

*Alto Onorevole
Società degli Speleologi
Palermo*